



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

10. An Capitulum Sede vacante possit revocare licentiam Ordines conferendi, & exercendi Pontificalia concessa alicui Antistiti ab Episcopo defuncto? Et quid,, si Capitulum non revocaverit praedictam ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76359)

RESOL. IX.

Capitulum tempore Sedis Vacantis posse indicare de causis pertinentibus ad Episcopum, ut v. g. quando revertitur questio super proprietate alicuius curi, seu iurisdictionis, an ad Episcopum pertinet, vel non; vel an aliquis sit subiectus, vel exemptus; an talis locus sit de Diocesi, an non; aut an aliquod beneficium sit de iure Patronatus, vel pertinet ad meram Episcopi collationem, &c. Ex part. 8. tract. 4. Resol. 10.

Respondeo, quod quamvis Capitulum tempore Sedis Vacantis succedat Episcopo in iurisdictione iurisdictionis Episcopalis: secus vero, quando revertitur questio super proprietate alicuius curi, seu iurisdictionis, an ad Episcopum pertinet, vel non: tunc enim non succederet Capitulum in examinatione illius questionis. Ratio est, propter preiudicium quod generari posset futuro Episcopo, cum tunc Ecclesia careat legitimo defensore, cap. fin. de Sede Vacante. Exempla ponit Panormit. in cap. eximio, num. 12. de foro compet. veluti, si contenderetur an aliquis sit subiectus, an exemptus. Item, an talis locus sit de Diocesi, vel non. Similiter, si dubitaretur, an aliquod beneficium sit de iure patronatus, vel pertinet ad meram Episcopi collationem. Quod intelligitur, etiam si huiusmodi causae reperirentur ceptae, ante vacationem Sedis Episcopalis, unde non possunt proficui a Capitulo, sed expectandos est nouus Praelatus. Sic DD. in d. cap. fin. & Panvin. de potestate Capituli, p. 2. quest. 9.

RESOL. X.

An Capitulum Sede Vacante possit reuocare licentiam Ordines conferendi, & exercendi Pontificalia, concessam alicui Antistiti, ab Episcopo defuncto? Et quid, si Capitulum non reuocauerit praedictam licentiam? Et aliqua alia inferuntur valde notanda ex doctrina supradictarum quae sunt.

Respondeo affirmatiue: Et quia hanc questionem optime pertractat Emanuel Theodoro in decis. Archiepiscopi Olyssiponensis. part. 1. de off. SS. num. 9. ponam per extensum eius verba, sic enim ait.

1. Inferitur, quod si Episcopus habet facultatem Ordines conferendi, exercendi Pontificalia, ab Episcopo mortuo, dum viuus esset, Capitulum possit reuocare dictam facultatem concessam praedicto Episcopo sospiti, & prohibere ne ordines conferat, quia cum Capitulum totam iurisdictionem habeat ordinariam Episcopi mortui, & Episcopus mortuus in vita poterat reuocare talem licentiam conferendi Ordines, ita etiam Capitulum poterit reuocare, & confirmare, quia Capitulum reuocat & remouet Vicarium generalem, & Prouisorum constitutos per Episcopum defunctum, & multo melius poterit reuocare licentiam concessam ad Pontificalia exercenda, & Ordines conferendos.

2. Secundo inferitur quod si Capitulum non reuocet praedictam licentiam, talis Episcopus sospes

poterit, sicut antea, Ordines conferre, dum per Capitulum non reuocetur, quia gratia non expirat morte concedentis, ut late probat Sanch. de marr. lib. 8. disp. 28. n. 64. & n. 83. vbi multa refert exempla, idque intelligit, quando gratia, seu licentia facta est absolute, & sine limitatione temporis, sed in hoc casu, gratia, seu licentia conferendi Ordines in Diocesi aliena, est iam facta, & perfecta ab Episcopo mortuo huic Episcopo extero; ergo non expirat morte concedentis, sed potest illa vi, quandiu Capitulum non reuocauerit.

4. Faciunt exempla adducta per Sanch. d. n. 83. vbi ait, licentiam Petro, v. g. ad ordines non expirare mortuo Episcopo concedente: neque etiam expirat, si Episcopus transferatur ad alium Episcopatum, in quo ait tertio, quod licentia data a Capitulo Sede Vacante ad ordines tempore quo poterat dare, non expirat talis licentia cum introitu novi Episcopi.

5. Quae exempla videntur probare a simili, non expirare morte Episcopi licentiam per ipsam concessam Episcopo extero ad conferendum Ordines in Diocesi Episcopi mortui, si concessa erat absolute, & sine limitatione.

6. Inferitur tertio, quod haec doctrina facilius applicatur Episcopo titulari, qui vocatur Episcopus (de Anel) creato, vel instituto in Sede, & Diocesi Episcopi mortui, qui si habeat facultatem ab Episcopo mortuo, cui seruebat, generalem; & absolute sine limitatione, ad toties quoties Ordines conferendum, praedictus Episcopus (de Anel) poterit Ordines conferre Religiosis Sede Vacante, sine licentia Capituli, si quidem durat licentia Episcopi mortui ad Ordines conferendum, quod intelligitur dum Capitulum non reuocauerit; potest enim, iuxta supradicta, & clarius hoc procedit in Episcopo (de Anel) quam in Episcopo hospite, quia cum Episcopus (de Anel) non habeat propriam Diocesim in actu, nam certo modo ista est sua Diocesis, quod in ea moratur, in qua creatus fuit, & institutus ad Pontificalia exercendum; & ita conferendo Ordines Regularibus, Sede vacante, & sine Capituli licentia, tamen cum licentia Episcopi mortui, quae etiam durat, non poterit dici quod Pontificalia exercet in aliena Diocesi sine licentia: neque obstat quod sint intra annum vacationis. Ita Themudo, qui etiam n. 4. & seq. firmat, nullum Episcopum posse Ordines conferre Religiosis, virtute privilegiorum, in Diocesi, in qua est Sedes Vacans, sine licentia expressa Capituli sub praenotatis, in Concilio fulminatis.

7. Haec conclusio est expressa in dicto Concilio sess. 6. cap. 5. de resor. licet enim Concilium dicat, ne Episcopus exerceat Pontificalia sine licentia Ordinarii, id est Episcopi Diocesis, in qua est, & Sede Vacante non adsit Episcopus Ordinarius, attamen adest Capitulum Canonicorum, quod Sede Vacante est Ordinarius, quia succedit Episcopo mortuo in omnibus, quae pertinent ad iurisdictionem Episcopi: ergo, &c. Et omnia supra dicta praeter Themudo docet etiam Portel in respons. moral. tom. 2. cas. 71. num. 4. & 5.

RESOL. XI.

An Capitulum Sede Vacante intra annum possit dare licentiam alicui Episcopo, ut conferat Ordines Regularibus, & Clericis alterius Diocesis?

Et an Regulares sint subiecti Episcopo quoad recipiendos Ordines? Ex part. 8. tractat. 4. Resol. 73.

Kk §. 1. Ad

Sup hoc melius in §. 2. huius not. in eius principio. Et pro licentia seq. data a Capitulo infra in Resol. 12. §. pen. & supra in tr. 1. Resol. 145. §. Nota hic, ad medium, a vers. qui bene addit, cum eodem Sanchez hic citato.

LA N A E  
D I O C E S I S  
O. III. IV. V  
E. III